



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

16 De decimasexta conditione census.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

De quartadecima conditione
census.

CAPVT XIV.

DECIMO QUARTO loco prohibet Pius V. census augeri, vel nouum creati super eadem, vel alia re in fauorem eiusdem, videlicet, emptoris, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri. Ita Pontifex.

Hæc conditio iure optimo posita est. Nam quemadmodum vsuræ priores nouas parere non debent. *l. Si non fortem. §. 1. ff. de condit. indeb. & l. Placuit. ff. de Vsuris. & l. vlt. C. de Vsur.* Vsuræ vsurarum à debitoribus non exiguntur: sic etiam census annui omitti, hoc est, non soluti, non debent vel augere censum antiquum, vel nouum inducere. Præterea, Dominus census potest facillè coram iudice conuenire debitorem, vt iudicis sententia, census prætermisissos soluere cogatur, vel vt ipse Dominus census rei obligatæ possessionem apprehendat, eamque tandiu retineat, quamdiu satisfactum illi sit ex fructibus ipsius rei suppositæ censui.

Dubia quæstionis est, an iure naturali communi scripto liceat pactum apponere, vt census antiquus, vel nouus creetur ex censibus omittis, hoc est, non solutis? Ratio dubitandi est, quia in *l. Item si fundi. §. Huic vicinus. ff. de Vsuris.* alluione augetur vsusfructus, ergo similiter augetur census noua pecunia, accessione, cum census, videlicet, annui non sunt per aliquot annos soluti: tunc enim reuera debentur. Respondeo, non pugnare cum iure naturali, vel communi scripto, vt modo prædicto census augetur ex pacto, communi consensu contrahentium appposito: at vero Pius V. id prohibuit, quia graui onere census debitor premeretur. Et idem iuris est de pacto, vt nouus census constituatur in eadem re, si illum capere possit, sin minus, in alia.

De decimaquinta conditione
census.

CAPVT XV.

QVINTODECIMO loco Pius V. ait [Annullamus pacta cõnientia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de iure, & ex natura contractus nõ spectaret.]

Hæc conditio est æquitati maximè consentanea: neque enim venditor census cogendus est indebita onera sustinere: alioqui enim grauius oneraretur.

Dubia quæstionis est, Quid sit dicendum, quando census in prædio constituitur, ex quo tributum Principi, vel Republicæ, siue fisco regio debetur? An tunc ipse venditor census debeat eiusmodi tributum Regi, & Republicæ? Respondeo cum Nauarro in *commentario de Vsur. num. 122.* & cum Bonifigio in *tract. de censibus. num. 12.* venditorem, non emptorem census eiusmodi tributum debere, quia venditor dominium rei suppositæ censui penes se retinet, & tributum est onus prædio impostum: ergo is, qui est Dominus prædij, tributum soluere iure compellitur.

De sextadecima census conditione.

CAPVT XVI.

DECIMO SEXTO loco Pontifex ait: [Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire.]

Quando res aliqua dicitur in totum perire, vel ex parte, & quando desinat esse infructuosa, superius explicuimus. Hoc loco ea dubitatio soluenda est, Quid dicendum, quando census est constitutus in aliqua domo, vel molendino, & domus illa, vel molendinum dirutum, vel incendio absumptum reparatur, & reficitur in eodem, vel in alio loco, censu super eo constitutus erit extinctus? Nauarr. in *comment. de Vsur. num. 118.* ait, molendinum refectum in totum, non amplius censui obligari, etiam si ex prioris molendini materia fuerit reedificatum, quia diuersa sunt molendina, & prius omnino perit. Virgin. vero de *censib. par. 2. num. 43.* censet renouatum molendinum adhuc censui manere subiectum, quia molendinum constat ex tribus, mola, qua frumentum conteritur: fistulis, siue canalibus, quibus aqua deducitur: domo in qua habitat molendinarius, & asseruatur frumentum in molendinum illatum. Et quamuis pereat domus, si mola tamen, & fistula remaneant, molendinum adhuc idè censetur. Nam ex *l. Si aqueductus. & l. Licet. & l. Et quamquam. ff. de contrahen. empt.* Si aqueductus debeatur prædio, ius aquæ ad emptorem prædij transit, etiam si nihil dictum sit, & ipsæ fistulae, per quas aqua delabitur, quamuis sint extra ædes, ad emptorem prædij perueniunt, quia subsequuntur aquam.

Breuitè dicendum existimo: quemadmodum nauis, si per partes reficiatur, eadem permanet, quæ perierat: at vero si tota dissipata fuerit, quamuis ex eiusdem tabulis, nulla adiecta, iterum construatur, est alia à priori: vnde in priori naui vsusfructus constitutus non perit, quamuis pereat vsusfructus posterioris nauis. *l. Quod tamen. §. In nauis quoque. ff. Quib. mod. vsusfructus. & l. Quod in rerum. §. Si nauem. ff. de Legat. 1.* sic etiam domus per partes refecta, eadem manet, quæ antea: at si in totum diruta, tamen si ex eadem materia reedificetur, est alia tamen, etiam eadem area remanente. *l. Quid tamen, nuper allata. §. Non tantum si ades. & l. Proponebatur. ff. de iudicij.* & proinde census perit, si domus igne confrauerit, aut in alio modo tota corruerit. Molendinum itidem si in totum pereat, census quoque euanescit, & perit.

De decima septima conditione
census.

CAPVT XVII.

DECIMASEPTIMA conditio est: vt liberum sit venditori redimere, & extinguere censum, quando-
cunque voluerit pretium restituere. Vnde Pontifex ait: [Sed etiam posse pro eodem pretio extinguere, nõ obstante longissimi etiam temporis, ac inmemorabili, immò centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscunque clausulis concepta sint.]

Hæc conditio est eadem atque illa, quæ in emptionibus, ac venditionibus aliarum rerum solet apponi, videlicet, vt possit venditor rem suam redimere eodem pretio in integrum restituto, quod dicitur pactum de retrouendendo: de quo Iuris ciuilis Interpretes in *l. Fundum. & l. Si à te. C. de Pactis inter emptorem, & venditorem.* Iuris Canonici consulti in *cap. Ad nostram, de Empt. & vendit. & cap. Conquestus, de Vsuris, & Siluester Vsuræ 2. quæst. 15.*

Cõuat.